

biliter censet Pierrus et Cornelius cum Andi. Masio tametsi id in ss. Scripturis non habeatur) iterum abstulit sed manu armata: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli, inquit, de manu Amorrhæi in gladio meo et arcu, Gen. XLIX.* Septuaginta vertunt: *Do tibi partem eximiam.* Erat ergo hic ager eximius et charus valde Jacobo, quia caro pretio emptus. Hac ratione non difficile intelligimus peccatores cum penitentiam agunt, in ius parare gaudium Christo et cœlitibus; quia plus ipsi laboris creantur, majorique pretio constiterunt: non enim pecunia dumtaxat, h. e. levioribus satisfactionis operibus, jejuniis, vigiliis, fatigationibus, humieubationibus, etc. eos sibi emit: sed insuper etiam gladio et arcu sanguinem fundendo et crucem perferendo, eos redemit. Hanc rationem tangit S. Augustinus, loco supra cit. lib. VIII. confess. cum illud Christi gaudium de peccatore hoc simili declarat: *Triumphat victor imperator, et non vicisset, nisi pugnasset: et quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus est gaudium in triumpho.* Hinc ergo Christus errabundam ovem in suos humeros suscepit, quod aliis ovibus non fecit; quia propter illam multos difficiles passus fecit, ut indicat S. Hieronymus, in ep. LXI. ad Pammachium: « Dei Filius, inquit, propter unam morbidam ovem, alapas, crucem, flagella sustinuit, et suis humeris portavit ad cœlum bajulans et patiens delicatam peccatricem. » Denique, S. Gregorii celebre verbum est: *Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia.*

IV. Majus est gaudium in cœlo peccatorum conversio quam iustorum consistentia; quia jucundius Deo et cœlitibus præbent spectaculum, quando e captivitate dæmonis miro vel stratagemate se extricant, vel fortitudine eluctantur: siquidem id difficilius est et majori eget certamine, quam in sua libertate et statione perseverare; tametsi et hoc suam uti difficultatem, ita et laudem habet. « Quemadmodum enim Salomon prius templum brevi tempore, et nullo contradicente perfecit, destructum autem propter peccata, non nisi quindecim postea quadraginta quinque annis restitutum, inimicis sæpe contradicentibus, sed tandem divino favore perfectum fuit: sic multi laboris est, si quis accepta fidei sacramenta peccando contemnit, pristinam restituere dignitatem: longo penitentiae labore abluendus, cuius ablutioni ipsa vitiorum consuetudo, quasi inimica Samaritanorum turba repugnat, tanto ad superandam difficilius, quanto diutius terram cordis virtute vacuum possedit, inquit ven. Beda, 1. » Esdr. Debebant ibi Hebræi una manu *trullam*, altera gladium tenere; adeoque struere

simul et pugnare: debent etiam peccatores omnes adhibere vires, si e peccatis præsertim inveteratis eluctari velint. Cæterum hæc lucta uti difficilis, ita gloriosa est et per jucundum Deo præbet spectaculum; de quo etiam intelligit Sanctus Bernardus, serm. XXXI. ex parvis, id quod apostolus, 1. Corinth. IV. ait: *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Ita plane, inquit, et malis et bonis pariter. Illos enim sollicitat invidiæ passio, istos compassio misericordiæ, ut in nos incessanter intendant: illi quidem defectum nostrum, isti profectum desiderantes. Diligenter consideratur utrinque quid egimus, utrinque dicitur: O si ad nos transcat! Sed imprimis Deus delectatur hoc spectaculo, victoriam peccatoris expectans: quod colligimus ex penitentia Achab, qui cum auditus Dei in se mortis sententia, scidisset vestimenta sua, et operuisset cilicio carnem suam, jejunassetque dormiens in sacco, et ambulasset demisso capite, Deus hoc ejus certamen considerans ait ad Eliam: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, III. Reg. XXI.* In quæ verba exclamat Sanctus Hieronymus, in epitaphio Fabiolæ: *O felix penitentia: quæ Dei ad se traxit oculos, quæ furem sententiam Dei, confesso errore mutavit!* Et cur, ait Dominus: *Quia humiliatus est mei causa? Nonne potius suis ipsius causa, ut veniam a Deo obtineret, humiliatum dicemus? Sed rectius utrumque dicamus? Sui causa, ut diximus, et Dei causa, ut ipsi jucundum in sua penitentia spectaculum exhiberet. Eam enim Christus suum esse cibum asserit, ubi Samaritanam ad penitentiam adduxit, Joan. IV. Meus cibus, inquit, est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Quærit S. Ambros. ep. III. lib. 1. *Quæ est voluntas Dei? Nisi ea, cum conversus ingemueris, tunc salvus eris? Sunt quidem et animæ justæ gratissimus Dei cibus; habent tamen animæ penitentium peculiarem quamdam gratiam et gustum, ut sic dicam, in ore Dei: quo modo ferina caro gratior est principibus, quam domestica, et cur? Nisi quia rarior jucundaque venatione comparata est? Designatum hoc videtur in Isaac, qui amorem suum in Esau magis inclinarat, quam in Jacob, Gen. XXV. Eceur vero, cum ille esset asper et horridus, hic vero lævis et gratiosus? *Eo quod de venationibus illius vesceretur, inquit Scriptura. Non venabatur Isaac, sed gaudebat tantum venatione filii. Ita etiam Deus delectatur, et quasi cibatur animabus peccatorum, quando eas ipsimet capiunt et mactant, occidendo pravas suas concupiscentias, castigando delicta in seipsis, juxta id Salvatoris: Qui amat animam suam, perdet eam, et qui perdidit animam suam, in vitam æternam**

custodit eam. Hæc sunt venationes, quæ jucundum Deo spectaculum exhibent: hi cibi, quibus libenter vescitur: hæc denique est duleis Christi sarcina, ovicula, inquam, reperta, et humeris ejus gestata ad cœlestem electorum caulam. Quo vero hæc, quæ diximus, mira et stupenda facilius vobis persuadeatis, auditores, interrogo vos imprimis; si Deo gaudium non adfert, et quidem maximum, conversio peccatorum, ad quid eos plerumque tamdiu tolerat, expectat ad penitentiam? Imo cur etiam tuetur contra invasores ut Cainum et Lamech? Gen. IV. Cur de zizaniis æque ac tritico dixit: *Sinite utraque crescere usque ad messem?* Matth. XIII. Deinde, cur obsecro peccatores, toties perduelles et relapsos, quoties in se reversi ad ipsum recurrunt et veniam petunt, recipit in gratiam, vel in uno die septuagies septies, toties ab illis desertus, repudiatus et contemptus, nisi eorum conversionem et salutem incredibili siti ex peteret? Quis enim nostrum illud faceret? Quis ab uno semel spretus eum postea in amicum recipit? Nonne rem etiam charam semel potentibus negatam, postea etiam ultro oblatam sæpe respicimus? At non ita agit cum peccatore Deus, cujus animam millies petitam, et millies negatam, tandem vero aliquando concessam, lætissimo animo suscepit. Deus: « Epim, inquit S. Hieronymus, in cap. II. Joel. non humanam imitatur impatientiam, sed longo tempore nostram præstolatur penitentiam. Quinimo si etiam quadraginta annis in peccatis vixissem, inquit Ludov. Blosius, in append. cap. III. et tempore resolutionis meæ instante peccata meæ pure confessus, cum perfectò amore ex fundo cordis mei saltem spatio unius salutationis, sic meipsum in Deum recipere possem, ut revera totus ad ipsum conversus, et ab omni peccato aversus inveniret: tunc nimirum sicut purus atque innocens ex hac luce migrarem. » Denique, cur Deus de cœlo descendit in terram, nisi ut salvaret peccatores? Cur reliquit nonaginta novem oves, novem angelorum choros, ut perditam requireret? Cur inventam in humeros sustulit, peccata ejus luendo in corpore suo, si eam non amaret et salvam esse cuperet? « Erat pastoris una ovicula, inquit Tertullianus, I. de penitentia, cap. VIII. sed grex charior non erat, una illa conquiritur, una pro omnibus desideratur: » et cap. IX. « Convivio gaudium suum exornat; filium enim (prodigum) invenerat, quem amiserat; chariorem senserat, quem lucrifererat. Deus ergo te filium suum etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti; magisque de egressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur: sed si pateat ex animo, etc. » Quare ad extremum ita

peccatorem excitat: « Pigeat sane peccare rursus, sed rursus penitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. » Sic ille.

CONCIO V.

QUO FINE DEUS ACCENDERIT IN NOBIS LUCERNAM
CONSCIENTIÆ.

I. Ut instar libri nos doceret quid agendum, quid omittendum. — II. Ut instar pædagogi nos retraheret e malo et impelleret ad bonum. — III. Ut esset actionum nostrarum testis inevitabilis et incorruptibilis. — IV. Ut esset advocatus pauperum contra jus oppressorum. — V. Ut esset accusator prævaricationum. — VI. Ut esset tortor malorum.

THEMA.

Mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam?
Luc. XV.

Quemadmodum in cœlo, ita et in terra duo luminaria magna, duas lucernas, Dei sapientia accendit: in cœlo solem et lunam, in terra legem et conscientiam. Solem accendit ut præsesset diei, lunam ut præsesset nocti: lex data est homini, ut illustraret et dirigeret eum in externis actionibus, velut sol; conscientia ut internis et occultis ejus actionibus lucem veritatis ostenderet velut luna. Lex igitur luminare majus et lucerna mundi est: conscientia luminare minus et lucerna mentis est. De priori habemus testem Sapientem, Proverb. VI. vers. XXIII. *Mandatum lucerna est, et lex lux.* De posteriore psalmistam, Psalmo IV. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: necnon Sanctum Damascenum, qui conscientiam appellat lucem mentis nostræ: ad hæc Beatum Nilum in parænesi scribentem: Conscientia pro lucerna utere in actionibus. Ea enim, quæ in vita bonæ sunt actiones, et quæ malæ ostendit.* Cur Dei sapientia magnum illud lumen accenderit, alibi disseruimus; superest ut inquiramus etiam, cur in nobis accendere voluerit lumen alterum minus, seu lucernam conscientiæ. Ergo hanc accendit:

I. Ut esset nobis instar libri, docens nos fideliter absque ullo personarum et conditionum respectu, quid agendum, quid fugiendum sit. Alphonsus Aragonum rex: *Optimos consiliarios esse mortuos dicebat; libros videlicet designans, a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret, uti refert Panormitan. lib. III. de dict. et fact. ejus, cap. 1. Talis est omnino conscientia velut liber, inquam, cuius sine omni metu et respectu prima veritatis principia denuntians ac præscribens; unde et liber appellatur, Apocal. XX. ubi de die judicii et examine*

ejus dicitur: *Et libri aperti sunt*: et Dan. VII. *Judicium sedit et libri aperti sunt*. Quinam vero sint hi libri, explicat mox Joannes, cum addit: *Judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum*. In quo vero alio libro, nisi in conscientia cujuscumque descripta sunt opera? Atque hic ipse est lumen et lucerna illa a Deo in nobis accensa, ut demonstret nobis, quid pulchrum, quid fœdum, quid prosequendum, quid fugiendum sit, de quo Psalmo IV. dicitur: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est* (Hebr. *expansum est*, velut liber scilicet) *super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiã in corde meo*. Lumen ergo hoc ostendit reddendum unicuique quod suum est, neminem fraudandum, nemini mentiendum, quod tibi non vis fieri alteri non faciendum, aliaque legis naturalis præcepta, et quid secundum rectam rationem fieri debeat juxta id Isa. LI. *Lex mea in corde eorum*: et Psalmi XXXVI. *Lex Dei ejus in corde ipsius*. Etenim, ut inquit Sanctus Chrysostomus, homilia V. in Genes. « Divinæ misericordiæ est, qui hominum generi concessit, ut unicuique nostrum insitum sit indepravabile iudicium conscientiæ, habentis inter bonum et malum justum discrimen, id quod potissimum omnem nobis defensionem tollit, quod non per ignorantiam in peccata incidimus, sed per animæ desidiam et virtutis negligentiam: » et homilia XII. ad populum: « Ab initio Deus hominem formans, legem ipsi naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expressit, et per se discibilem constituit bonorum et contrariorum scientiam. Non enim opus habemus discere, quod malum est fornicatio, bonum continentia, sed ab initio hoc scimus. Legislator postea leges ferens et dicens: Non occides, non intulit: Malum enim cædes: sed simpliciter: Non occides, inquit, prohibuit enim peccatum dumtaxat, non docuit. Quare igitur qui dixit: Non occides, non addidit quod malum cædes? Quoniam præveniens conscientia nos hoc docuit, et tamquam scientibus et intelligentibus ita loquitur: » et hom. XIII. seq. « Sic et adulterium, ait, malum esse putamus, et neque hic laboribus et disciplina nobis est opus, ut peccati hujus malitia noscatur, sed omnes in hujusmodi sentiis sumus per nos ipsos docti. Et virtutem licet ipsam non obeamus, commendamus: sicut vicissim vitium, licet operemur, odimus. Et hoc fuit maximum Dei beneficium, ut conscientiam quidem nostram et voluntatem, interim et ante actionem virtuti applicaret, impugnari autem sineret improbitate. Sicut igitur dixi, horum quidem amborum cognitio omnium hominum conscientiæ

insita est, nec ullius indigemus præceptoris ad hæc discenda. » Sic Chrysost.

II. Ut esset instar prædagogi, retrahens nos a peccatis, et impellens ad virtutes: impediens a malo, et promovens ad bonum. Ita appellatur ab Origene, lib. II. in cap. II. ep. ad Roman. *Velut pædagogus*, inquit, *animæ quidam sociatus et rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget et arguat*. Et merito, quia uti pædagogi munus est, refrænare puerum ab inhonesto: ita conscientiæ munus est hominem retrahere et absterere a peccato. Unde Lipsii celebre dictum est: *Conscientia ante peccatum est frænum, post peccatum est flagrum*, libro I. polit. mon. cap. V. Similiter Sanctus Chrysostomus, homilia XII. ad populum, conscientiam asserit esse præceptorem a Deo nobis datum, quem etsi alios omnes spernamus, effugere non possumus. « Multos, inquit, et alios præter conscientiam præceptores nobis Deus proposuit, etenim patres filii, et dominos servis, viros uxoribus, et doctores discipulis, et legislatores et iudices subditis, et amicos amicis, etc. Tot autem doctores nobis proposuit, ut facilis nobis utilitatis inventio et reparatio fieret, multitudine ad id compellentium non permittente nos a conferentibus nobis excidere. Etenim si parentes contemnamus, magistratus timentes, erimus omnino mitiores: et si illos in peccatis despiciamus, nunquam conscientiæ increpationem effugere possumus. » Deprehenderat aliquando David capitalem suum inimicum Saulem regem in spelunca, et incitabatur a servis suis, ut ejus cæde se redimeret ab ejus vexatione, allegantibus etiam Dei voluntatem: *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis*. Et subibat jam cogitatio cædis faciendæ: sed pædagogus conscientiæ potior et potentior omni illa suggestionem fuit, repressitque Davidem, ne inferret manus regi. Ita enim adipsum postea locutus est: *Cogitavi ut occiderem te: sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum; quia Christus Domini est*, I. Reg. XXIV. Quis hic oculus Davidis nisi lumen mentis et conscientia? Ex oculis enim mens interna se prodere solet: unde hic signum pro ipsa re usurpatur quo modo Ecclesiastici XLVIII. dicitur, solem dies adjecisse regi Ezechia; quia signum fuit adjectæ vitæ. Conscientia igitur fuit, quæ retroegit Davidem, ne regium sanguinem effunderet, tametsi hostilem. Quinimo cum ei dumtaxat oram ch. mydis absedisset, mox: *Percussit eum cor suum*, quasi et hanc parvam ignominiam inferre regi debuisset. Vere igitur conscientia fuit et in priore actu frænum, in posteriore flagrum. Hinc præ-

clare Sanctus Chrysostomus, homilia IV. de Lazaro, conscientiam appellat *sacram anchoram*; quia ut anchora navim retinet, ne a ventis abrepta in scopulos impingat et mergatur: ita conscientia retinet hominem, ne in præcipitium peccati a passionibus rapiatur: *Conscientiæ increpatione*, inquit, *sacra est anchora, non sinens nos tandem in peccatorum demergi profundum*. Retinuit etiam hæc anchora Arianum quemdam adolescentem, qui pretio conductus ad tollendum e medio Sanctum Gregorium Nazianzenum, cum ad ægotantem irruisset, repente sceleris conscientia retractus, animum mutavit, ut ad ejus pedes cum lacrymis se abjecerit, veniam expostulans, ut in ejus vita scribit Gregor. presbyt.

III. Ut esset actionum nostrarum testis inevitabilis atque incorruptus; quo nomine a doctoribus communiter et sæpissime appellatur, imo dicitur: *Conscientia mille testes*. Sanctus Eligius, hom. VIII. *Absit*, inquit, *accusatriæ accusatio* (in examine scilicet conscientiæ), *testis conscientia, carnifex timor*. Testem incorruptum et inevitabilem asserit Sanctus Chrysost. homil. II. de verbis Isaia: :

« Quemadmodum, inquit, seipsum nemo potest effugere, ita nec illum ejus curiæ (conscientiæ) sententiam. Hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est, et a Deo nostris impositum mentibus. » Non est igitur opus, ut ab externo arguatur teste, qui seipsum secum gerit et testem et iudicem, adeoque: *Verum et domesticum tribunal*, ut ait Sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. XV. Seipsam videt conscientia, et a seipsa terretur ac contremiscit velut a carnifice. Unde Sanctus Bernardus, lib. V. de consideratione, cap. XII. ait: « Nullus molestior oculus suo cuiusque: non est aspectus sive in cælo, sive in terra, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ vel seipsas. Se vident, quæ aliud non vident. » Tam potens et irrefragabilis est hic testis, ut etiam e gentilibus subterfugi non potuerit. Referunt enim Græcorum apophthegma quemdam Pythagoricum philosophum a sutore emisse calceos, et cum paratam non haberet pecuniam ad solvendum, orasse sutorem, ut in crastinam expectaret diem. Quo cum venisset satisfactorius, audivit sutorem interea temporis esse defunctum: tacuit igitur debitum et gratulabundus domum rediit quasi liber jam a debito. Verum conscientia minime tacebat et abeuntem revocabat ad solvendum debitum, velut obligatum, licet nemine conscio; quare in domum sutoris rediens et pecuniam injiciens: *Tibi*, inquit, *vi-vit, qui aliis defunctus est*. Quanta vis conscientiam in iis, qui luce evangelii carent!

IV. Ut esset advocatus pauperum, contra jus et fas oppressorum. Ipsa enim si bona et inculcata sit, ita hominum tuetur, ut nihili plane faciat omnes hostiles machinas: « Nihil est, jucundius, inquit Sanctus Bernardus, de interno domo, cap. XXII. nihil tutius, nihil litius bona conscientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cum corpus morietur: secura cum utraque in die iudicii ante tribunal terrificum justi iudici statuatur, » et paulo supra appellat eam: « Templum Salomonis. » Scimus in templo Salomonis, cum extrueretur, malleum et securim non fuisse auditam, III. Reg. V. quia scilicet procul inde lapides omnes poliebantur et ligna secabantur. Talis machina est conscientia bona, quidquid strepitus et tumultus est, extra eam est, non intra. Cum tumultus aliquis oritur in civitate, vel hostium incursus ingruit, ad templum confugimus, velut ibi asylum reperiunt. Ita cum orta esset seditio inter Hebræos, Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, Num. XVI. Tabernaculum fœderis est conscientia bona inter ipsam et Deum erecti, securitatem ei præstans et asylum, dum ipsa sibi bene constat. Ad hoc se recepere fratres Josephi, quando pecuniam pro frumento expensam domi suæ iterum repererunt in suis saccis. Reversi enim (quod ausi non fuissent, si furti rei fuissent) ad Josephum, pecuniam retulerunt, et dispensatori ejus dixerunt: *Non est in nostra conscientia, qui posuerit eam in marsupio nostris*: mox enim audierunt: *Pax vobiscum, nolite timere*, Gen. XLIII. Rursum sequenti capite, cum in sacco Benjamin repertus esset scyphus Josephi, nihil metuentes, præterquam soli Benjamin, mox reversi sunt in oppidum: Benjamin vero cum esset innocens nihil omnino timuit, neque se verbulo defendit fretus conscientia sua. Eo se recepit (Isaia XXXVIII.) rex Ezechias denunciata sibi morte; convertit enim faciem ad parietem, templi videlicet, juxta quod Salomon palatium extruxerat (ut explicat ibi Cornelius) quia æger illuc ire non poterat, et dixit: *Obsecro Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis egerim*. Ubi Sanctus Hieronymus: *Felix conscientia*, inquit, *quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur*. Eo confugit Susanna quando adulterii falso accusata, et omni præsidio innocentia suæ destituta, cum jam ducetur ad pœnas, flens suspexit in cælo et oravit: « Deus æternæ qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt adversum me: et ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt adversum me. »

Facta hac oratione et ad Deum appellatione, reperit asylum non modo in sua conscientia, sed etiam coram populo advocatum et defensorem Danielelem, qui ejus accusatores in nequitia deprehendit et damnavit, ipsam vero liberavit.

V. Ut esset accusator prævaricantium et quasi canis eos allatrans, donec furtum deserant. Hoc insinuaturn Caino, quando ei dictum a Deo: *Sin autem male (egeris) statim in foribus peccatum* (hoc est, peccati conscientia) *aderit*, Genes. IV. q. d. accubabit velut canis præ foribus alligatus domui, furem allatrans. Porro canis hic offa medicata minime sopitur, ut sileat et quiescat sed indesinenter latrat. Unde Sanctus Chrysostomus, concione IV. de Lazaro ait: « Deus nobis insevnt conscientiam, idque quovis patre amantius. Nam pater ubi semel, iterum ac tertio deciesve filium increpaverit, si viderit incorrigibilem manere, desperans abdicat, expellit e familia, a cognatione resecat. At non eodem modo conscientia, sed licet semel, licet iterum, licet ter, licet millies, admonuerit, tumque non obtemperet, monebit iterum nec desistet usque ad supremum halitum, sive domi, sive in bivis, sive in mensa, sive in foro, sive in itinere, frequenter et in somnis, peccatorum nobis simulacra spectraque representat. » Postea docet idem sanctus pater Dei sapientia factum, ut non continuo, sed per intervalla hominem conscientia objurget, ne is animum despondeat, sed subinde relaxatione aliqua respiret. » Porro non tunc solum (subjicit Chrysostomus) cum ipsi peccamus, verum etiam quum alii committunt eadem vehementer insurgit, magnaue contentione nobis acclamat. Num scortator, adulter aut fur non modo quum accusatur ipse, verum etiam quum audit alios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi, dum increpantur alii, suorum admissorum reminiscens; et alius quidem vocatur in jus, hic vero flagellatur, cui nullum crimen intenditur, si fuerit eadem ausus. » Quam veritatem miro exemplo, quod scribit Maiolus, tom. III. colloc. III. confirmabimus. Quidam servus nomine Pandocheus vehementer eflagitabat connubium filie domini sui, quam ducere non poterat, quia pauper et peregrinus erat; accidit, ut profecturus alio paterfamilias cum tota domo sua, hunc reliquerit servum, qui venientes hospites exciperet: cumque mercator quidam absente sene, divertisset ad hospitium, ubi ipse solus manebat, nocte eum occidit, et in stabulo sepelivit, equum vendidit, pecuniam abstulit et abscondit; nullus scivit, secreta erat res; rediit dominus; invenit omnia bene disposita, paulo post finxit Pandocheus se a patre vocatum, licentiam petiit, obtinuit, rediit, sed dives ita ut gener fieret domi-

ni sui, et hæres (unica erat enim filia) crevit in tantum, ut ad senatoriam dignitatem illius civitatis pervenerit, eaque diu perfunderetur: sed licet foris sic prospera cuncta succederent, intus tamen validis dilaniabatur conscientie cruciatibus, ita ut potius mori vellet, quam sic vivere. Accidit, ut quadam die assistere deberet in senatu, et capitali sententia juxta leges plectere homicidam quemdam: doluit, timuit, anxius est, e domo egrediens mandavit uxori, ut ferculum aliquod gratum sibi appararet, ob molestiam quam patiebatur, non poterat enim aliquid placide comedere: interea ad ecclesiam pergit, sacrum auditorurus, rediit domum, scit uxorem emisse caput vitulinum, quo ipse delectabatur, pergit ad illud videndum, aspexit non caput vitulinum sed hominis mortui; stupet, horrescit, clamat deceptum se esse ab uxore, inde ad curiam proficiscitur, cum iudicibus sedit: cum ordo postularet, ut sententiam diceret, statim ubi secundum legis præscriptum capite mulctandum homicidam pronuntiasset, assurgit, eandemque sententiam de seipso pronuntians, pandens latrocinium, homicidium olim a se commissum: suppliciter petiit ne supplicium gravius subire cogeretur: erant ex presentibus, qui melancholie illud adscribebant, quibus ipse talia affatus est: « Scio vos me suspectum non habere, nec sane alterius atrocioris sceleris mihi conscius sum, quæso tamen etiam atque etiam ut justo capitis supplicio affectum ab atrocissimis istis conscientie doloribus, quos multis jam annis sustinui, supplicio, quod promeritum statuo liberetis, efficiatisque, ut satisfiat justitie Dei. » Quid plura? Inventis ossibus eo loco, quo ipse mercatorem obtruncaverat, ipso volente, et petente factum est, ut cum altero homicida simul decapitaretur. Esse vero hunc conscientie latratum opus misericordie divine ad retrahendum a sceleribus ad penitentiam peccatorem, ostendit homilia X. in Genes. Chrysostomus: « Quasi medicus optimus, inquit, non cessat sua medicamenta apponere, et si semel depellatur, neque sic desistit, sed continuam curam gerit. Hoc et conscientie opus est, ut jugiter memoriam ingerat, nec permittat unquam in factorum oblivionem venire: sed ob oculos proponat, ut vel hac ratione non tardiores faciat, ne in eadem peccata prolaborat.

VI. Ut esset tortor malorum et carnifex, imo inchoatus quidam infernus. Ita Divus Bernardus, sermone IV. de assumptione Virg. ait: *Infernus quidam et carcer anime rea conscientia*. Similiter Sanctus Ambrosius, l. 1. offic. cap. XII. *Ipsam inopiorum requiem, dum vivunt, in inferno esse*, ait Sanctus Augustinus in Psalmum XLV. *Inter omnes, inquit, tribulationes humane anime,*

nulla est major tribulatio quam conscientia delictorum. Isaas, capite LXVI. et Christus Dominus Marci IX. *vermem* appellant: *Vermis eorum non moritur*. Rationem dat Ambrosius, libro VII. in Lucam, capite XIV. « Eo quod irrationabilia anime peccata mentem rei sensumque compungunt, et quedam exedunt viscera conscientie, que tamquam vermes ex unoquoque ascuntur tamquam ex corpore peccatoris. » Carcere molestiorem Sanctus Chrysostomus scribit, homilia II. de nequitia depulsa: « Sicuti, inquit, qui carcerem inhabitant, capitis damnati, damnationem opperientes et mortem, vel si deliciis abundanter fruuntur, vitam agunt molestiorem et anxiam; sic qui improba conscientia molestantur: » et concione I. de Lazaro: « Quin et alioqui antequam illic puniantur, jam nunc qui improbe agunt, atque in peccatis vivunt puniuntur. Nec enim mihi dixerit illum mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alios submovere in foro, sed explicat mihi istius conscientiam, et videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem,urbationem: videbis velut in curiam mentem ad thronum conscientie concendisse regalem, et tamquam iudicem quempiam sedentem, et cogitationes loco carnificum adhibentem, in oculo suspendentem, lateraque conscientie radentem unguis, pro commissis vehementer inclamantem, quum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre noverit. Etenim qui committit adulterium; etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare: et voluptas quidem temporaria est, dolor vero perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio et anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, insecios, illam ipsam quam corruptit, et virum, quem affecit contumelia, obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, quum sit suo ipsius iudicio damnatus, nec vel ad breve tempus possit respirare. Nam et in lecto, et in mensa, et in foro, et in domo, et interdiu, et noctu, et in ipsis frequenter somniis hæc iniquitatis simulacra videt, ipsiusque Cain vitam vivit, gemens ac tremens super terram, quam nemo sciat, intus tamen habet ignem implicitum. » Confirmat hanc doctrinam exemplum quod scribit pater benedictus Ferdinandus noster in caput XXXIV. Genesis, sectione IV. « Moriebatur apud nos, ait, vir primarie nobilitatis, jamque sacramentali confessione expiatus, divina eucharistia pastus, sacra demum unctio ad extremum luctamen præmunitus ardentem cereum dextra tenens, inter adstantium preces, et crebras suavissimorum

nominum Jesu et Mariæ implorationes, oculis jam pene mortuis, vocibus interruptis annuit adstanti confessario: Sed quid de illa puella? Quo die in æternum conticuit. Videlicet juvenis puellam sed non per vim, plebeiam illam quidem, corruerat, ac deinde bene dotatam in matrimonium honestum locaverat. Et nihilominus hoc unum de cunctis totius vite flagitiis moribundum discruciatat vehementius. Quid facient sub illam terrorum æque ac periculorum horam injusti, violentique puellaris pudicitie prædatores? » Denique, hoc verme et torture plexus fuit Absalon, dum in quercu pendulus diu vivens hæsit, uti vult Sanctus Chrysostomus, in Psalmum VII. « Absalon, inquit, invitus pependit, et non statim de medio sublatus est, sed tamquam in iudicio diu suspensus est et ligno affixus, et Deo e superis ferente sententiam, longo tempore pependit, a conscientia deinceps flagellatus. Ipse enim cupiebat in patris gulam dexteram intingere: pater autem vel sic rogabat milites ei parere. A vana autem gloria (quod dixit) erat adeo alienus, ut etiam post mortem eum lugeat. Et ut scias quod factum est, non fuisse humane industrie, sed totum fuisse divini iudicii, capilli et lignum eum alligarunt, et brutum eum animal tradidit, et pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit, pro milite autem eum adduxit mulus. Considera autem id, quod est admirabile, nemo suorum ad eum accedere ausus est, cum tantum fuisset spatium. Hoc autem Deus providerat, ut neque detraheretur, nec vincetus ad patrem afferretur, quoniam paterna viscera ei parci velle ultra modum indicaverat: et quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliavit, is ipsum interfecit, propemodum instans vehemens accusator: sed is quidem eum occidit, Deus autem tulit sententiam. » Sic igitur conscientia, que data nobis est ut sit advocatus noster apud Deum pro tuenda causa nostra; si ejus monita non audiamus, fiet nobis carnifex: quo modo Joab, qui Absalonem prius patrocino suo reconciliavit patri, et quidem iterato; postea contumacem tribus lanceis confodit.

Bene igitur monuit Dominus Matthæi V. *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte adversarius tradat te iudici, et iudeus tradat te ministro, et in carcerem mittaris*. Adversarius hic conscientia est, ut docet auctor quæst. Scripturæ sacræ quæst. XXVI. quæ peccantibus se opponit et oblatrat, donec ei consentiamus, et quod illa dictat, faciamus; cui nisi consentiamus in hoc vita, trahet illa nos ad tribunal Christi, et quæ nobis data a Deo fuit in advocatum, fiet in accusatorem et tortorem.